

## De duobus problematis circa nauigan-

DI ARTEM PETRINONII

SALACIENSIS LIBER VNVS.



Principio igitur ita rem se habere in uniuersum, quemad-  
 modum quibusdam in locis Martinus Alphonsus se de-  
 prehendisse ait, accipiamus oportet. Vbicunquenempe  
 simus exoriri Solem ad Lestem, occidere autem ad Oestem,  
 cum æquinoctialia puncta ingreditur. Ducta enim per  
 horizontis centrum recta linea meridiana, uelut docuit Vitruuius, si su-  
 per ea ab ipso centro in eodem plano rectam lineam ad rectos angulos  
 excitaueris, ipse circulus horizontis his duabus rectis lineis in quadran-  
 tes diuisus erit. Quarum prior que meridiana est rumbus, est Septentrio-  
 nis et Austri, posterior uero rumbus Lestis atque Oestis Hispanicè dici so-  
 let. Hoc autem repræsentat nauticum illud instrumentum, quod uulgò  
 acum appellant, & quæuis eius imago in nautarum planisphærio depi-  
 cta. Quoniam uero ex circulis parallelis solus æquinoctialis est, qui una  
 cum meridiano horizontem in quadrantes secare possit, quod accidere  
 necesse est ijs circulis qui à Leste in Oestem producuntur, nullus id circo  
 præter Æquatorè parallelus Lestis & Oestis rumbus esse potest. Sed circu-  
 lum quendam maximum cœlestis sphæræ intelligemus, meridianum  
 in uerticali puncto ad rectos angulos secantem, & per horizontis atque  
 æquinoctialis intersectiones uenientem, quæ ortus & occasus æquino-  
 ctiales dicuntur. Erit profectò recta illa linea Lestis & Oestis commu-  
 nis sectio plani huius uerticis circuli atque plani horizontis: quod ex un-  
 decimo libro elementorum Euclidis facile potest ostendi. Si quis igitur  
 eandem Lestis & Oestis lineam sequutus fuerit, quandiu rectà proces-  
 serit, tandiu in ipso uerticali circulo erit ortus atque occasus æquinoctia-  
 lis: uertex etiam sub eiusdem circuli circumferentia uersabitur. Quòd si  
 de uero illo horizonte ageremus, qui ex maximis circulis sphæræ est, u-  
 nam tantum rectam lineam Lestis atque Oestis affirmaremus esse, eamque  
 recto horizonti communem, in qua certè communis sectio fit omnium  
 horizontum cum uerticalibus. Cæterum est alius horizon qui à nobis  
 usurpatur, per superficiem terræ transiens, non per centrum, uero illi cœ-  
 tralique horizonti parallelus, ab eoque parum distans, quippe qui cœli  
 ferè dimidium nobis ostendat. In huiusmodi itaque horizonte habet u-  
 nusquisque locus propriam sibi peculiaremque Lestis & Oestis lineam, in  
 ortum atque occasum Solis æquinoctialem utrinque productam.

Sed quamuis prædictus circulus maximus uerticisque quem Lestis  
 & Oestis